

simplices, affectione concordes, fideliter sibi unanimitatis nexibus cohaerentes. Haec unanimitas sub Apostolis olim fuit. Sic novus credentium populus, Domini mandata custodiens, caritatem suam tenuit. Probat scriptura divina, quae dicit: Turba autem eorum, qui crediderunt, anima et mente una agebant. Et iterum: Et erant perseverantes omnes unanimes in oratione cum mulieribus, et Maria, quae fuit mater Jesu, et fratribus ejus. Et ideo quia efficacibus precibus orabant, ideo impetrare cum fiducia poterant quocumque de Domini misericordia postulabant.

XIX. In nobis vero sic unanimitas diminuta est, ut et largitas operationis infracta est. Domos tunc et fundos vennundabant, et thesauros sibi in coelo reponentes, distribuenda in usus indigentium pretia Apostolis offerebant. At nunc de patrimonio nec decimas damus, et cum vendere jubeat Dominus, emimus potius et augemus. Sic in nobis emarcuit vigor fidei, sic credentium robur elanguit? Et idcirco Dominus, tempora nostra respiciens, in evangelio suo dicit: Filius hominis cum venerit, putas inveniet fidem in terra? Videmus fieri, quod ille praedixit. In Dei timore, in lege justitiae, in dilectione, in opere fides nulla est. Nemo futurorum metum cogitat diem Domini et iram Dei; et incredulis ventura supplicia, et statuta perfidis aeterna tormenta nemo considerat. Quod metueret conscientia nostra, si crederet; quoniam non credit omnino, nec metuit. Si autem crederet, et caveret. Si caveret, evaderet. Excitemus nos, quantum possumus, dilectissimi fratres, et somno inertiae veteris abrupto, ad observanda et gerenda Domini praecepta vigilamus. Simus tales, quales esse nos ipse praecepit, dicens: Sint lumbi vestri accincti et lucernae ardentes in manibus vestris: et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando veniat a nuptiis, ut cum venerit et pulsaverit, operiant ei. Beati servi illi, quos adveniens Dominus invenerit vigilantes!